



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Herbipolensi Electo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

ducere curaremus. Præterea cum fuisset idem Episcopus de mandato nostro à * carcerali custodia liberatus, & contra ipsum in nostra demum præsentia constitutum nuntij. Danorum Regis illustris quædam gravia objecissent super quibus ille se inculpabilem ostendere nitebatur, eidem Regi, sciente ac volente præfato Episcopo, per scripta nostra mandavimus ut, ne causa remaneret diutius in suspenso, aliquos viros providos & fideles usque ad festum natalis Domini proximò præteritum ad sedem apostolicam destinaret, eisdem potestate concessâ ut per eos & cum eis, si desuper datum esset, concordiam super ipso negotio tractaremus. Alioquin auditis & intellectis quæ per eos adversus Episcopum ipsum idem Rex duceret proponenda, & illis quæ in sui defensionem Episcopus allegaret, de vultu nostro procederet iudicium æquitatis. Cùmque postmodum propter hoc dilectus filius * Præpositus Regis ipsius nuntius, dum tractatus super postulationis articulo haberetur, nostro se conspectui præsentasset, memoratus Episcopus ipso præsentem restitutionis beneficium postulavit à nobis, asserens se per Regem tam episcopalibus bonis quam etiam patrimonialibus destitutum. Cui dilectus Præpositus ex adverso respondit quòd non rite poterat restitutionis auxilium implorare, cum ipse se duxerit spoliandum, dum clericalem habitum derelinquens, * regium sibi titulum usurpavit. Insuper læsæ majestatis, apostasiæ, adulterij, perjurij, dilapidationis, & conspirationis crimina eidem obiciens, proponebat non solum ei fore restitutionis beneficium denegandum, sed etiam postulationem de ipso factam penitus respuendam; præsertim cum irregularis existat, utpote de duplici adulterio procreatus, ejusque dispensatio fuerit olim ab apostolica sede per subreptionem obtenta, suppresso quòd esset spurcius, & expresso quòd existeret naturalis, cum & paternæ incontinentiæ imitator filios habeat post sacros ordines generatos. Nos autem ad ea quæ pacis sunt intendentes, petitionem ipsius super restitutione tam episcopatus quam patrimonij sibi plenariè faciendâ in favorem ecclesiasticæ libertatis duximus admittendam, concedentes eidem ut si fortè nollet se credere dicto Regi, per procuratorem idoneum restitutionem acciperet corporalem, & ipse interim in quo mallet loco maneret eidem Regi meritò non suspecto. Qui cum respondisset se velle per procuratorem ido-

neum restitutionis beneficium obtinere, ac de loco in quo mansurus esset interim deliberatorias inducias accepisset, ingratum gratiæ sibi factæ, fraudulenter & contumaciter à nobis * illicentiatu aufugit, haud dubium quin, si possit, ut præconceptam malitiam exequatur. Vnde nos ex parte omnipotentis Dei patris & filij & spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum Apostolorum Petri & Pauli ac nostra excommunicamus & anathematizamus eundem, postulationem de ipso factam, qua omnino reddidit se indignum, penitus reprobantes. Quocirca serenitatem tuam exhortandam duximus & rogandam, consulentes & suggerentes fideliter ac prudenter, quatinus virum tuum diligenter moneas & inducas ut præfato Episcopo nullum præstet auxilium vel favorem, sed eum tamquam excommunicatum vitet, neque per ipsum aut propter ipsum permittat in Ecclesia Dei scandalum suboriri, per quod etiam contra se possit non leve scandalum generari, cum nos tantæ malignitatis audaciam in eodem nolimus Episcopo sub dissimulatione transire. Datum Laterani.

HERBIPOLENSI ELECTO.

Dilecti filij Præpositus, Decanus, & Capitulum Bremense per suas nobis literas intimarunt quòd . . . quondam Archiepiscopo suo viam universæ carnis ingresso, ipsi convenientes in unum, & de pastoris substitutione tractantes, in Waldemarum Episcopum Slevvicensem vota sua unanimiter contulerunt, humiliter implorantes ut postulationem de ipso factam admittere dignemur. Nobis igitur &c. in eandem fere modum ut supra usque. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus personaliter accedens ad Principem, diligenter cum ex parte nostra moneas & inducas ut præfato Episcopo nullum præstet &c. sicut supra usque transire. Discretioni tuæ districtius injungentes quatenus prænominatum Episcopum excommunicatum manifestè denunties, & postulationem ipsius penitus reprobata, mandatum apostolicum taliter impleturus quòd devotionem & discretionem tuam debeamus meritò commendare.



* Arnold. Eubec. lib. 7. c. 12.

Epist. 210. Ut Slevvicensem Episcopum excommunicatum denuntiet. Vide epist. super.

* Vide Rayn. lib. 2. ad an. 1161. 19. 121.

* Turm. Præpositus Ral. Guldensis, in lib. 2. cap. 10.

* Vide Arnold. lib. 7. c. 12.